
Restauré par xl Cochon pour ses Livres

Narratio omnium rerum [illegible]

[illegible] [illegible] forma

quae [illegible] [illegible]

ad [illegible] [illegible] [illegible]

in [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R b 454

STEPHANI CATINII

ALTISSIMI, ET SERENISSIMI
DVCIS SABAVDIAE CONSILIARII, PROCVRATORIS
Generalis in Supremo Sabaudiæ Senatu Subſtituti,
& in eo Doctorum poſtulantium Decani, Tractatus
omnium Criminum publicorum, & priuatorum,
formáque ſententiarum reddendarum ad maximum
ſubditorum ſolatium in Aſsiſiis antiquo ſtatuto
Sabaudiæ inſtitutis.



CAMBERII,
EX TYPOGRAPHIA PETRI DV-FOVR,
Typogr. SS. D. Sabaudiæ.
M. DC. XIII.

SERENISSIMO
VICTORI AMEDEO
PRINCIPI PEDEMONTIVM
FILIO ALTISS. CAROLI EMANVELIS DVCIS SABAVDIAE, ET ALTISSIMAE CATHARINAE Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici filiæ STEPHANVS CATINIVS ipſius DVCIS Conſiliarius eius Procuratoris generalis in Supremo Sabaudiæ Senatu Subſtitutus, & in eo Doctorum poſtulantium Decanus, perpetuam fœlicitatem, D.

SÆPIVS animo meo verſatus ſum quodnam teſtimonium dare poſſem, quod omnibus emineat, dignitatis, officij, & beneficij, quod à Duce noſtro Altiſsimo Carolo Emanuele Patre tuo iam conſequutus ſum, in quo ſucceſsit forma à me inſtituta, & obſeruata in iudicandis cauſis in Aſsiſiis ſtatuto Sabaudiæ antiquo ab anteceſſoribus fœliciſsimæ memoriæ Ducibus noſtris inſtitutis, cum tam maxima, & fœliciſsima huius Sabaudiæ reipublicæ vtilitate. Quæ forma ad id pœnitus accedere dignoſcetur: tum & cauſarum criminalium breuis tractatus noſter, quem tibi eapropter Princeps Sereniſsimè, qui Patris tui humanitatis, & virtutis merum ſucceſſorem

omnibus

omnibus te patefacis auferre auſus ſum : Leuidenſe quidem munus; ſed eo quo ſincero animo offero, & me tibi conſecro ſuſcipe, & cum Ouidio loquar:

Si deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hoc facit veniat pauper quoque gratus ad aras:
Et valeat læſo non minus agna boue.

Vale Princeps fœliciſsimè, & me meóſque auge, & opus hoc tuere.

AD LECTOREM.

SCis (candidè Lector) nos non nobis tantum natos eſſe debere (vt cum Marco Tullio loquar) eapropter eo decurrit ingenij noſtri conceptio, vt cum cæteris qui tot antehac operas Iuriſprudentiæ ediderunt vt patriæ, & omnium vtilitati conſulerem. Et ideo formas omnibus iura profitentibus iudiciorum in cauſis Aſsiſiarum antiquo Statuto Sabaudiæ ordinatis proferre in publicum inſtitui, vt quæ quam ſummariè, & ſanctæ Iuſtitiæ ſpeculum ad vtilitatem publicam dilucidiſsimum videantur: non ſperne quæſo, at tuere, & bene vale.

AMEDEI PAVITI I. V. D. ET IN ſupremo Sabaudiæ Senatu Aduocati Conſiſtorialis in clariſſimi, necnon eruditiſſimi IC. STEPHANI CATINII Colendiſſimi ſoceri Tractatum Criminum.

TETRASTICHON.

Qui doctum laudare cupit tua ſcripta CATINI
Extollat merito, nam colit ipſa Themis.
Ergo quid aggrediar? mens fluctuat æquore vaſto.
Natus es vt patriæ vera corona fores.

IN EVNDEM CARMEN.

Quæ nocitura mali tibi ſunt cur crimina laudi?
Nil mirum, quæ audent crimina, lege fugas.

C. F. D. F.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

DE CRIMINE LEGIS IVLIÆ MAIESTATIS.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Iudicia alia publica circa publica crimina alia priuata, circa priuata crimina.*
2 *Publica iudicia quæ ſunt.*
3 *Primum legis Iuliæ maieſtatis, in duo capita diuiſum.*
4 *Pœna illius criminis læſæ Maieſtatis.*
5 *Memoria eius qui commiſit illud crimen læſæ Maieſtatis damnanda.*

IMPRIMIS vt ad id de quo potiſsimum tractandum eſt deueniamus animaduertendum eſt iudicia, alia eſſe circa publica delicta, alia eſſe circa priuata delicta, vt diſtinguit Gl. ad rubric. Inſt. de public. iudic. Et iuris noſtri authores locis vulgatis pertractant, & decidunt. 1

Publica nempe vt legis Iuliæ majeſtatis, legis iuliæ de adulteriis, legis Corneliæ de ſicariis, legis Corneliæ de falſis, legis Pompeiæ de parricidiis, legis Iuliæ de vi publica, legis Iuliæ peculatus, legis Flauiæ de peculariis, legis Iuliæ de ambitu, legis Iuliæ repetundarum, legis Iuliæ de annona, legis Iuliæ de reſiduis. De quibus iudiciis publicis non hic acturi 2

ſumus potiſsimum: ſed velut per tranſennam, & ſummarie vt dilucidius de illis priuatis, de quibus tractaturi ſumus præcipuè conſtare valeat. Certi iuris eſt igitur de illis publicis iudiciis conqueri licere, non omnibus tamen de quibuſdam.

3 Quod ad primum legis iuliæ majeſtatis attinet, in duo capita diuiſum eſt: primum cum contra principem, ſecundum cum contra remp. vt diuiſit gloſ. in §. publica Inſt. de publ. iudic. primum cum directo, ſecundum cum per indirectum commiſſum arguitur etiam filios, & filias afficit, eis filiabus
4 ſalua tantum falcidia, l. 1. §. 1. l. 2. C. ad leg. Iul. maieſt. Et licet filij morte damnandi eſſent, ne criminis paterni ſucceſſores ſint, priuantur ſolummodo omni ſucceſsione patris, matris auiæ maternæ, donationibus, legatis etiam illis ab extraneis factis, vt vita ſit illis in pœnam, & mors in ſolatium dum bonis omnibus carebunt, & ne ſucceſſores patris in eo ſcelere tam graui eſſe poſsint, l. quiſquis. §. filij vero. Cod. ad leg. Iul. maieſt. Et vero canoniſtæ cum autoribus iuris ciuilis, C. ſi quis cum 6. quæſt. 1. C. licet heli. de ſym. & bona, & corpus illorum celeratorum perdenda decidunt. Imo & iure ſepulturæ cum eorum prædeceſſoribus priuantur viuentibus inſuper interdicunt eos lugere, & funera celebrare. Hiſtoriæ itaque notant de Cartagine ſolo æquata ob quorundã in remp. infidelitatem conſpiratam. Et ideo ab Henrico Imperatore Breſsia ſubmerſa, & aratro laborata cum pleriſque aliis vt paſsim hiſtoriæ antiquæ referunt.

5 In ſumma damnanda eſt illius memoria cõmittentis tam inhumanum ſcelus. Quapropter poſt eius mortem de eo ſcelere inquiritur, vt decidunt Imp. l. penult. & vlt. C. eo. Vlp. l. fin. eo. §. publica Inſt. de publicis iudic. l. ex omni iudicio vnum, & ibi gl. in verbo Majeſtatis. De accuſ. licet in cæte-

ris

ris criminibus mors omnia ſoluat. Et de hoc fuſius tradidimus lib. cauſarum noſtrarum 4. cap.19. in cauſa fratrum de Dandel. eo crimine damnatorum.

DE ADVLTERIIS, ET STVPRO.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

1. *Adulterium pœna lege Moyſis, iure canonico Digeſtorum, & Codicis, tum & Solonis.*
2. *Legiſlatores adhibuerunt differētiam inter hominem adulterātem, & mulierem.*
3. *De adulterio conqueri non omnibus datum eſt, & quibus tantum.*

QVOAD legem Corneliam de adulteriis atti- 1
net Moyſes iuſtus Legiſlator filiis Iſraëlitis
legem tulit quam à Deo Opt. Max. vt alias
leges obtinuit, qua id crimen in eum incidebat horrorem, vt eo damnatus lapidibus cederetur ſine venia vt refert S.P.C. omni. 22.quæſt.2. & licet iure Digeſtorum nulla in hoc crimine pœna fuiſſet determinata, imo ſæpius à pœna mortis liberabatur adulter gl.l. qui cum vno §. adulterij, D. de re
milit. Cōſtitutionibus tamen Imperialibus pœna mortis in- 2
dicta eſt, §.item lex iulia Inſt.de publ.iud. vbi Io.Faber. l.eum qui l.quamuis. C.ad leg.Iul.de adult.Et Solon apertè demōſtrauit, quo horrore eſſet huius criminis obnoxius qui omnibus liberè conceſsit hos adulteros morte ferire. Et vero Tēnues Rex Tenedæ expreſſe iuſsit omnibus eos inueniētibus qui in hoc crimen incidiſſent Cunea occidere: limitauit tamē Romulus eam ſolonis pœnam in patre, marito, & aliis conſanguineis

ſanguineis eorum. Noui autem noſtri Legiſlatores adhibuerunt differentiam inter hominem adulterātem & mulierem, vt homo condamnetur ad pœnam honorariam capite, & pedibus nudis depoſitis veſtibus præter induſiam, & confitendum publicè ſe temere peccaſſe Deo, & Principi veniam petēs bonis ſuis publicatis, & Principi commiſsis cum bannimento à regno aut Ducatu perpetuo Pap. lib.2. tit.19. art.2.

5 Veruntamen non omnibus datum eſt de adulterio conqueri at ſolum marito, patri & fratri, & non cæteris parentibus, aut aliis, vt decidunt Impp. l. quamuis de adult. ne, inquiunt, tam liceat fœdare matrimonia, vt ita facile deturpentur. Ex quibus in iudicio hoc illis non conquerentibus Aduocatus generalis Ducis noſtri altiſsimi Sabaudiæ conqueri volens admiſſus non fuit à Senatu, nobis pro accuſata poſtulantibus: quia alioqui ratio illa Impp. remaneret ſublata, & legis illius diſpoſitio inutilis. Quod autem ad ſtuprum attinet id committi dicitur cum maritus ad ſolutam matrimonio accedit non adulterium, gl. l. eum qui in verbo infertur C. ad leg. Iul. de adult. & ſtup. Et l. 1. in verbo declarat eo. text. l. inter ſtuprum, & adulterium, D. de verb. ſig. pœnam autem ſtupri decidit Imper. in §. Item lex Iulia in ver. ſed eadem lege. Inſt. de public. iudic. Contra honeſtam perſonam publicationis dimidiæ partis bonorum contra humilem corporis coërcitionem cum relegatione vbi gl. tamē tribus in caſibus pœnam augendam eſſe tradit in verbo cum relegatione. Qui autem ſint honeſti qui humiles exponunt Impp. l. humilem. Cod. de Inceſt. nupt.

DE

DE INCESTV, ET SODOMIA.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

1 *Crimen Inceſtus à quibus committitur?*
2 *Quæ potiſſimum attenduntur ad pœnam delinquentium in eo crimine inceſtus, & à quibus, & cum quibus committitur, & Sodomia?*
3 *Ordinatio Moyſis, & pœna Canonum in eo iudicio inceſtus.*
4 *Pœna Sodomiæ cum bruto commiſſa.*

QVOD ſi grauius crimen perpetratum ſit, vt eſt inceſtus quod committitur per patrem cum filia, cognata alteri matrimonio coniuncta, per ſeruum cum domina mortis pœna ſequitur, l. ſi quis viduã, D. de quæſt. Pap. 22. Arr. 4. tit. 7. In quo tamen attendi debet qualitas delinquentis, & mulieris conditio ad grauiorem, aut leuiorem pœnam, Chaſſ. Des juſtices. in verbo, & droicts, &c. n. 46. Sed quid de crimine ſodomiæ? Id perpetrari dicitur in maſculo, & in fœmina C. vſus 32. quæſt. 7. in quo ſemper pœna mortis ſtatuta, C. reos 23. quæſt. 5. Chaſſ. tit. des Iuſtices, in verbo & droicts. n. 47. vti aduerſus eum qui cum bruto rem habet. Et vero grauius, & exemplare magis crimen in quo deordinatur magis ordinatio Dei, & naturæ quam in ſuperiori. & adulterio 32. quæſt. 7. Plenè de his Carre. parel. Crimin. C. nono excuſatur maritus, pag penul. & vlt. Ordinauit autem Moyſes idcirco in hoc tam abhorrendo, & odioſo crimine vt qui cum brutis, aut cum ho-

mine altero rem haberet tale monſtrum morte plecteretur D. C. reos ad Chaſſ. vbi ſupra. lege cum nubit C. ad l. Iul. de adult. Chaſſ. in verbo & droicts, tit. des Iuſtices, n. 47.

4 Ius itaque Canonicũ licet animal ſit irrationabile cũ quo homo, aut fœmina rem habuit morte cum homine, aut fœmina feriendum eſſe ſtatuit vt eius memoria non remaneat odio hominibus C. mulier, 15. quæſt. 2. fusè Boer. de hoc tradit quæſt. 316. Quæritur autem quo genere mortis? Et vero homo viuus, & animal igne comburi iudicantur Pap. lib. 24. tit. 10. arr. 6. Et ne quidem mulieres ſeipſas corrũpentes mortem effugere poſſunt Pap. lib. 22. tit. 7. Arr. 2. Boer. D. qu. 316. num. 14.

DE SICCARIIS, ET PARRICIDIIS.

CAPVT IIII.

SVMMARIVM.

1 *Pœna aduerſus ſiccarios de quibus non conſtat qui occidit licet inter eos crimen commiſſum probatum ſit.*
2 *Pœna aduerſus eum qui duos percuſsit cum tantum vnum ferire vellet.*
3 *Puniendus an ſit qui deliquit cum delinquendi animum non habere conſtat.*
4 *Parricidij pœna.*

1 QVOD ad crimen legis Corneliæ de ſiccariis attinet ſi non apparet cuius ictu occiſus fuerit omnes puniuntur qui in eum promoti ſunt: nam omnes præſumuntur ſimul vulneraſſe Vlp. l. item mela. §. ſi plures trabem. §. ſed & ſi res 2. reſp. Iul. l. ita vulneratus in fin. ad leg.
2 aquil. Bar. l. fi. n. 10. D. ad leg., Corn. de ſicc. Etiam qui duos percuſsit cum vnũ percutere vellet de vtroque tenetur Paul.

l. ſcien

l.ſcientiam.§.qui cum aliter.ad leg. aquil.facit quod reſpondit Paul. l.eum qui nocentem.§.pen.& vlt.de iniur.Ad quod 3
decidendum noſtro iudicio accedit is qui vt ſi animum delinquendi non haberet tamen deliquit, vt is de crimine legis Corneliæ non teneatur, ſed mitius puniatur propter culpam Caliſtr.leg. Diuus Martianus, l.1.§. Diuus Paulus. l.in lege. ad leg. Cornel. de ſicc.Marc. l. reſpiciendum.§. delinquunt. de pœn. Et ita iudicatum per nos fuit, per ea quæ fuſius traduntur lib.noſtro 4.Cauſ.c.27. vbi pater qui filium fortuito occidit non tenetur lege Pompeia de paric.ſed alia leuiori,& pecuniaria ob ſuam imprudentiam qua id accidit cum clariſsimo Iureconſulto Nobili Amedeo Pauito Aſſeſſore. In 4
pœnam autem legis de parricidiis dicimus incidiſſe etiam qui venenum emit vt daret patri, & ſi non dedit Marc. leg.1. ad leg.Pomp.de parr.vbi paucis tradit Bart. caſus quibus in eam pœnam quis incidit Modeſt. l.penult.eo.ait parricidam virgis ſanguineis verberandum, & culeo inſuendum cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, deinde in mare profundum culeum iactandum, ſi mare ſit proximum, vel beſtiis ſubiiciendum niſi furore id factum ſit, quia impunitus remanet: diligentius ſiquidem erat cuſtodiendus etiam in vinculis.§.vlt.d.l.pen.

DE EO QVI MORTEM SIBI CONSCIVIT.

CAPVT V.

INcidit vt quis ſeipſum motu proprio ſine cauſa apparente laqueo ſe ſuſpendit,& ita mortuus eſt. Quapropter videndum

dum eſt quibus pœnis ſe, & ſua aſtrinxit. Et vero Imp.in l. 1.C.de bon.eor.qui mort.ſibi conſciu.diſtinguit,aut quis ſibi mortem intulit conſcientia delati,& admiſſi criminis & metu futuræ in eum ſententiæ, & eius bona fiſco vendicantur. Sin vero dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, vel inſania, aut caſu aliquo id acciderit eius bona ex teſtamento, vel ab inteſtato ad ſucceſſores pertinebunt. Et quouiſmodo ex ſupra diſtinctis qui ſeipſum occiderit carere debet ſepultura, quia efficitur excommunicatus ex Fel. opinione C.cum contingat, de ſenten. excomm. & plene Lug. Carr.pract. crim.tit. de homicid. cap. inc. modo hic de aliquibus quæſtionibus in hac materia de voluntario homicidio. & cap.inc. octauo quæro.

DE CRIMINE LEGIS CORNELIÆ
DE FALSIS.
CAPVT VI.

SVMMARIVM.

1 *Recedens à falſo ante ſententiam liberatur à pœna falſi.*
2 *Falſum tribus modis dicitur.*
3 *Teſtis de falſo punitur ſi pecuniam accepit etiam vt verum teſtetur.*
4 *Falſi pœna tenetur allegans falſas leges, & Conſtitutiones.*
5 *Accuſantis de falſo. & accuſati fit acerrimi in dago.*
6 *A tortura non eſt incipiendum ad probandum crimen niſi atſint indicia ſufficientia.*

1 IN ſpecie huius criminis de falſis notandum eſt, ſi quis ante ſentētiam à falſo deſiſtat eum pœna illius legis liberari decidit ſceuol. l.athletas. ad leg. Cornel. de falſ. Falſum autem dici tribus modis docet

docet Bart. l.quod ſi falſum, D.eo. ſed non omne incidit in pœnam huius legis Corneliæ, vt paſsim decidunt IC.& Imp. ſub eod.tit. Notandum eſt tamen de falſo teſtem puniri, ſi 3
pecuniam accepit etiam vt verum teſtetur l.1.illo tit.quia præſumitur corruptus, & falſus Gl.& Pan.c.licet. de probat. vbi late circa materiam falſorum teſtium. Eſt etiam intuitu di- 4
gnum quod decidit modeſt.l.ſi quis falſis. ad leg. Cornel. de falſa elegantem falſas leges, & conſtitutiones eadem pœna falſi teneri.Facit ſ. falſi.C.de Iuſtin.Cod.confirm. Et licet de Iure communi agi poſsit ciuiliter,& criminaliter falſi inſcriptione facta per eum qui accuſat, de falſo ſemper fiat acerri- 5
ma indago accuſati, tum, & etiam accuſantis ſi calumnioſe arg. l.vbi.C. ad leg.Corn.de fal. Ad probandum tamen cri- 6
men à tortura non eſt incipiendum, ſed indicia ſufficientia præcedere debent l.licet C.ad leg. Cornel.de falſ.l.1.lege milites C.de quæſt.Vlp. l.2.in princ.eo.

DE CRIMINE LEGIS IVLIÆ REPETVNDARVM.

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

1 *Crimen legis Iuliæ repetundarum quis committere dicitur?*
2 *Pœna illius criminis repetundarum.*

DE hoc crimine autem legis iuliæ repetundarum ſi 1
magiſtratus, poteſtas, & qui curatio, legatum, vel aliud officium, munus, miniſterium acceperunt errogarint pecunias vt alicui faueant iudicando,

aut vt minus, vel maius præſtent, & aliter prouideant quam deceat, l.2.l.3.& ſeq. C.ad leg.Iul. repet. Aduerſus quos pœna ſtatuta eſt à Marc. l.Lex.§. hodie ex lege.ad leg.Iul. repet l.1.C.eo. exilij, vel grauior.

DE CRIMINE LEGIS IVLIAE De Annona.

Capvt VIII.

SVMMARIVM.

1 *Legis Iuliæ crimen qui committunt?*
2 *Pœna committentis hoc crimen legis Iuliæ.*

1 IN iudicium legis Iuliæ de annona incidunt qui ſocietatem coëunt, aut ita agunt vt annonam publicam, & communem fraudent. Vlp.l.2. ad leg. Iul.de ann. Pap.l.3.eo. Aiunt, inquit, ibi IC.Imperatores verum, & Antoninum exiſtimaſſe æquum non eſſe decuriones ſuis ciuibus frumentum pluſquam annona
2 exigit vendere. Imo pœnam contra eos impoſuerunt d. l.2. interdictionis, & relegationis interdum l. annonam. de extraord. crim. Imo ordinarunt, & reſcripſerunt ius non eſſe ordini cuiuſque ciuitatis precium grauius quod inuenitur ſtatuere.

DE

DE CRIMINE LEGIS IVLIAE PECVLATVS, & de Sacrilegiis, & reſiduis.

CAPVT IX.

SVMMARIVM.

1 *Crimen peculatus quis committit?*
2 *Crimen de reſiduis in quo conſiſtat?*
3 *Pœna illorum criminum erat aquæ, & ignis interdictio, poſtea deportationis hodie vero quæ videtur.*
4 *Sacrilegium iure canonico aliter committitur quam iure ciuili.*
5 *De reſiduis crimen qui committunt?*

ATTINGAMVS etiam parum quid de cri-
mine peculatus, de ſacrilegiis, & reſiduis
deciſum eſt. Et vero id crimen peculatus 1
incidit cum quis aufert pecuniam ſacram,
religioſam, publicam, & in ſuam rem con-
uertit propriam, aut dolo malo de ea con-
trectat Vlp. l.1.ad leg.Iul.pecul.de Sacril. Ille vero commit- 2
tit, & incidit in id iudicium de reſiduis qui pecuniam pu-
blicam delegatam in vſum aliquem ſibi retinuit, & in vſum
deſtinatum non impendit Paul.l.2.eo. cuius crimi. iudicium, 3
& pœna erat aquæ, & ignis interdictio, poſtea deportatio
Vlp.l.3.eo. Sed notandum eſt multis circonſtantiis inſpectis
pœnam inferri quæ debet: neque iure authenticæ, ſi perſpi-
cue inſpexerunt, vt in ſpecie exiſtimo ei crimini pœnam
aliam datam eſſe, quicquid notet & referat Gloſſægraphus
d.l.3. Sacrilegium vero iure ciuili fieri dicebatur cum res ſacra 4
de loco ſacro ſurripiebatur Marc.l.diui.eo. Iure autem pon-
tificio alterum tantum interueniſſe ſufficit. Alterum autem 5
iudicium

iudicium illius legis Iuliæ de reſiduis ſequitur aduerſus eum qui pecuniam publicam deſtinatam in vſum ordinatū non impendit, at in ſuum, & alium retinuit, vt decidit Paul. l. 2. ad leg. Iul. pecul. & reſid.

DE CRIMINE LEGIS IVLIAE, de vi publica, & priuata.

CAPVT X.

SVMMARIVM.

1 *Vis publica fit cum armis, aut ſine armis.*
2 *Vis publica cum armis facta diuerſis pœnis coërcetur quam ſi ſine armis.*
3 *De vi prius quærendum quam de iure dominij, & poſſeſsionis.*
4 *Vis publica committitur pluribus modis.*
5 *Pœna committentis vim publicam ſequitur formam delicti.*
6 *Buſſellarij, & Yſauri quomodo ſumuntur?*
7 *Qui in crimen ius publicæ incidunt?*
8 *Pœna vim publicam committentis eſt priuatio omnium dignitatum, & inhabilitas.*
9 *Creditor in rem debitoris ingreſſus ſine autoritate iudicis creditum amittit.*

SED quid ſtatuendum de hoc crimine legis Iuliæ de vi publica oſtendit Imp. §. item lex
1 Iulia. Inſt. de public. iudic. Et quidem eos attingit lex illa qui vim cum armis, aut ſine
2 armis committunt. At ſi cum armis facta vis dephrehendatur LEX ILLA deportationem infert: ſi ſine armis publicatione tertiæ partis bonorum. Et vero maiori delicto maior pœna debetur. Et ideo eam pœnam ſtatuit, l. 2. C. ad leg. iul. de vi publ. quàm infamia ſe-
3 quitur Mart. l. 1. ad leg. iul. de vi priu. Eſt itaque prius de vi quæren

quærendum quàm de iure dominij, & poſſeſsionis. Mart. l. qui cætu. §. ſi de vi. ad leg. iul. de vi public. Vim publicam autem committere pluribus modis deciſum eſt, vt breue faciam à Mart. l. 2. & 3. l. qui cætu Vlp. l. vti ne l. vt cum l. ſeq. l. qui dol. Paul. l. fin. ad leg. Iul de vi public. Ad quam vim publicam armatos etiam accipere debemus non ſolum qui tela habuerunt, ſed quod nocere potuit, vt decidit Paul. l. armatos. eo. Pœna autem in eos erat aquæ, & ignis interdictio d. l. qui dolo. in fi. Hodie deportatio Vlp. l. 3. ad leg. iul. pecul. §. item lex. Iuſt. de public. iudic. eſt perditio omnium bonorum. Aliquando capite plectuntur ſi cædes alienas, aut villas expilauerint, effregerint, expugnauerint cum telis, & turba Vlp. l. fi. eo. Et idem crimen eſt rapere, & rapinam illam vi factam ſcienter receptare l. penult. C. eo. Imo vero prohibitum eſt omnibus bucellarios, aut yſauros, aut armatos ſeruos habere ſub pœna centum librarum auri adhibita vindicta, l. vlt. C. eo.

4 (beside "Vim publicam"); 5 (beside "interdictio d."); 6 (beside "prohi-")

Bucellarij autem dicuntur qui à minimis nempe à bucellis inceperunt furare, vel qui, in ore captorum lignum imponunt ne clamantes audiantur, aut ne clament. Yſauri vero ſunt perfidiores Latrones aliis vt explicant Imp. l. prouinciarum. de fer. Quod autem attinet ad vim priuatam in 7 id crimen incidunt qui dolo malo aliquid ex naufragio rapuerint, vel qui conuocatis hominibus pulſarunt, verberarunt non tamen occiderunt Mart. l. 1. ſceu. l. 2. eo. aut qui cætum, aut concurſum hominum fecerunt quominus quis in ius produceretur Paul. l. legis Iuliæ. eo. aut qui ſine armis aliquem ſuo fundo deieſſerunt Vlp. l. ſi quis. eo.

Pœna autem in eos eſt, vt ab omnibus dignitatibus pri- 8 uantur, & inhabiles reddantur, d. l. 1. Et vero citra Iudicis

autoritatem ſi creditor vi rem debitoris fuerit ingreſſus ius
9 crediti amittit vt decidit Caliſtr. l. pen. eo: Optimum eſt vt
ſi quas putas habere petitiones actionibus experiaris interea
poſſeſſor debet morari in poſſeſsione.

DE CRIMINE RAPTVS.

CAPVT XI.

SVMMARIVM.

1 *Raptus committitur, & ſi rapta conſenſerit.*
2 *Solonis pœnam in raptorem decem librarum, vt leuem iura noſtra non approbarunt.*
3 *Crimen raptus committitur etiam in religioſa, vidua, aut virgine.*
4 *Raptus crimen non ſolum ſi vxorem alicuius honeſtam, ſed ſi luxu dedicam rapuerit, aut non ſubditam viro, niſi conſenſerit.*
5 *Raptum committens non excuſatur ſi ducere captam in vxorem velit: imo eſt priuandus ſponſalibus, & matrimonio.*

SVCCEDIT vt paucis agamus de crimine ra-
1 ptus etiam ſuccinte pertractare. Et id co-
mitti dicitur & ſi rapta conſenſerit, quia
in re illicita Pap. cap.22. tit.6. arreſt 5.
Quod autem ad pœnam attinet Solon
2 tantum pœnā pecuniariam impoſuit nem-
pe decem dragmarum auri. Leges vero noſtræ ciuiles eam
leuem pœnam non approbarunt, at capitalem impoſuerunt
raptori non ſolum, ſed præſtanti conſilium, & operam leg.
vnic. C. ſi quis eam cuius tutor fuer. corr. §. itē lex iulia Inſt.
3 de public. iudic. Quod locum ſibi vindicat in religioſa, vi-
dua, aut virgine, l.1. C. de rapt. virg. Mart. l. qui cætu. ad leg.
Iul. de vi public. Chaſſ. tit. des Iuſtices, in verbo droicts. c. 3.
num. 35.

num.35. Idem ſi vxorem alicuius rapuerit honeſtam moribus optimis, & virtutibus præditam, d.l.qui cætu. Eadem ſtatuta pœna eſt, etſi mulier pluribus luxu dedita ſi modo maritum habuerit: ſed ſi viro ſubdita non ſit, vi rapta tamen raptor morte plectendus ex ſupradictis, non autem ſi conſenſerit. Hodie tamen mulier huiuſmodi non nupta quæ alteri dedita eſt ſi rapta ſit non incurrit raptor pœnam raptus Pap.tit.8. lib.22. Quæritur itaque ſi quis raptum committere nixus ſit tamen non eſt exequutus raptum ductus pœnitentia, an non ſit eo crimine plectendus? Et vero eo crimine excuſandus videtur, quia voluntas pro facto non habetur, ſi libere ab ea voluntate pœnitens receſſerit. Quid ſi raptam nubere velit qui rapuit, & cum ea matrimonium contrahere, aut ſi contraxerit an ſit excuſandus? Et vero ſponſalibus, & matrimonio omnino eſt priuandus, & morte afficiendus affl. Deciſ.Neapol.276. Iure autem Pontificio ſequitur excommunicatio, & priuatio matrimonij. Imo ſi promiſſa raptor eſt priuandus ſpõſalibus, & matrimonio, publica pœnitentia plectendus c.ſtatutum c.raptor. 27. quæſt.2.

4 5

SEQVITVR DE PRIVATIS IVDICIIS, primum de Ambitu, & Plageariis.

CAPVT XII.

SVMMARIVM.

1 *Lex illa de ambitu, & de plagiarijs locum non habet hodie.*
2 *Publica iudicia non habent locum in aſsiſiis.*
3 *Quæ ſunt delicta priuata?*
4 *Quando quis punitur pro pluribus delictis ſimul, aut pro quolibet?*

5 *Pœna vna plurium actuum pro vno delicto.*
6 *Ius accuſandi in priuatis delictis, an ad hæredem tranſeat?*

HODIE ſi nouas conſtitutiones, ſi noua iura
1 animaduertamus nihil ad nos lex iulia de
ambitu, & fauia de plageariis iure veteri in-
troductæ, locumq; ſibi amplius nõ vindi-
cant noſtris temporibus, vt nos certiores
reddit lectio legum de illis introductarum:
2 quare de iis fruſtra ageremus. In cæteris autem publicis
iudiciis ſupradictis, quia omni exacta inquiſitione, & forma
procedendi ſolemni agendum eſt de illis in huiuſmodi aſſi-
ſiis quæri non poteſt: quia non ſummarie, & de plano pro-
cedendum eſt, & iudicandum in illis, vt in iſtis priuatis de-
3 lictis. Quæ priuata ſint delicta liquido iure noſtro conſtat
illis publicis cognitis. Et quidem priuata delicta diciduntur
à iuris noſtri autoribus, & eorum interpretibus ſub titulis Di-
geſtorum à titulo de Priuatis delictis, vt puta à titulo de in-
iuriis, & ſequentibus vſque ad tit. de publicis iudiciis. Quan-
4 do vero quis puniendus pro pluribus delictis ſimul, & pro
quolibet diſtinguit l.2.n.3. de priuat. delictis, & traditur in
additionibus ad eum, vt ſi plura ſint delicta diuerſæ ſpeciei
quis puniendus pro qualibet vice ſi agentis ſæpius interſit l.
aduerſus. D.de furt. Idem ſi eiuſdem ſpeciei, vt pro quali-
bet ſpecie pœna ſequatur d.l.2. & l.quicumque. Cod.de furt.
quia ipſius agentis intereſt, & ſi pro mille ſpeciebus. Idem
deciditur ſi plura delicta diuerſas ſpecies delictorum attin-
gunt l.ſi aduerſus. C.de furt. & ſi diuerſas perſonas, & diuer-
ſas res Caſtr.l.agraria.de termi.mot. Si vero plures ſint actus
ad vnum delictum, & reiteretur actus, & eandem crimi-
nis ſpeciem vna pœna tantum imponitur Pomp.l.ei qui.de
furt.

furt. Et ita eſt intelligendus Gloſſægraphus ibi. Limitatur tamen ſi ex primo delicto pœna eſſet ſoluta, vel lis conteſtata ante ſecundum delictū: hoc caſu enim iteratur pœna Mod. l. ſi diuturno. de pœn. cum ſi. ad rem in add. ab Bart. d. l. 2. in verbo pro mille ageretur. Sed an ius accuſandi in priuatis delictis tranſeat ad hæredem, & quilibet de illis accuſare poſſet? Et, vt paucis agam, hoc tranſmitto ad tradita per Bart. ad Vlp. l. ſi quis actiones. de priu. delict. & per eundem Bart. ad d. l. 1. & 2. eo. 6

DE FVRTIS.

CAPVT XIII.

SVMMARIVM.

1 *Furtum inter virtutum operas Aegyptij, & Lacedæmones enumerabant, Draco mortis pœnam inferebat, noſtræ leges ciuiles inferunt pro qualitate, & grauitate.*
2 *Furtum rei leuis in aßiſiis.*
3 *Dominus pro re ſibi furtim ablata ciuiliter poteſt agere.*
4 *Furtum commiſſum domi hoſpitum, aut cauponum parit duplicem actionem contra furem, hoſpitem, aut cauponum, & nautam.*
5 *Viatorum factum non præſtat caupo.*

DE priuatis delictis ad rem proximius accedit vt tractemus. Imprimis quoad furti crimen attinet inter virtutum operas furtum Ægyptij, & Lacedæmones referebant. Eontra diuinæ leges ea prohibent, vt grauia delicta. Eſt enim inter decem præcepta diuinæ legis, non furtum facies. Draco mortis pœnam in fures ſtatuit, leges ciuiles duodecim Tabularum, & iuris no- 1

ſtri ciuilis pro qualitate, & diuerſitate illius criminis pœnas ſtatuerunt diuerſas. Legibus namque duodecim tabularum latronem nocturnum, & etiam manifeſtum occidere permiſſum erat, & diuturnum ſe defendentem. Pœnæ autem legibus noſtri iuris ciuilis, vt dictũ eſt, diuerſæ ſunt, pro grauitate, leuitate, qualitate, & multiplicitate delicti, vt tot.tit.de furt.D.& C. diſtinctum videmus, & Inſt.de oblig. quæ ex delict.naſc.Quod reuera prolixum eſſet nimis referre, & diſtinguere.

2 Ideo ſatis erit animaduertere ſi leue furtum appareat vt iudicetur in aſsiſijs veluti cum quis ligna vicini eo inuita ſurripuerit, aut quid aliud parui momenti.§. furtum autem Inſt. eo.vti & tot.eo. tit.quib. mod. furt. committ. Quibus actio furti competat deciſum habemus, & plenius D. & Cod. eo.

3 tit. Eſt tamen ſciendum domino rei furtiuæ perſecutionem ciuilem competere aut vindicando, aut condicendo §.1.Inſt. eo. ſed quicquid ſit ſemper infamiam incurrit qui furtum committit l.ſi te.l.ex quib.cauſ. inf. irr.

4 Inſuper in ſpecie furti commiſsi domi hoſpitum, aut cauponum duplex actio domino nata eſt ciuilis contra furem, contra hoſpitem, aut cauponum in duplum Vlp.l.vnic. furt. aduerſ.naut. caup. ſtabul. & contra nautam, d. l. vnic. verſ.

5 nauigandi autem. Sed factum viatorum caupo non præſtat: quia repellere eos non poteſt d.l.vnic. verſ.caupo autem. vt illorum qui ibi ſunt habitandi cauſa, ead.l.vnic. verſ. cauſæ autem.

SI FAMILIA FVRTVM FÆCISSE DICATVR.

CAPVT XIV.

SVMMARIVM.

1 *Omnes de familia puniuntur de damno dato ab ea : non autem de furto: quia de eo pœna ſequitur acſi vnus tantum commiſiſſet.*

2 *Si dominus ſciuit, & non prohibuit, vt potuit tenetur nomine ſingulorum de familia.*

ALIQVANDO contingit familiam furtum facere, vt ait Paul. l. ſi familia de iuriſd. omn. iudic. qui ibi diſtinguit: ſi de corruptione albi, & de iniuria damni dati à familia agitur, & omnes puniuntur, vt de factis pluribus ab illis. Secus ſi de furto agitur punitio ſequitur veluti ſi vnus feciſſet. Idem Vlp. l. 1. in prin. ſi famil. furt. feciſſ. dicat. Et hoc ita eſt deciſum illis iuribus in libero ſecus olim cum de ſeruis familiæ agebatur. Nam ſi dominus ſciuiſſet furtum, & non prohibuiſſet, vt poterat tenebatur nomine ſingulorum, aut vna pœna exacta altera non tollebatur, aut vna æſtimatio non ſufficiebat, vt in libero homine. Sin autem ſciuit dominus, & prohibere non potuit, aut ſi ſciuit, & prohibuit, aut ſi non ſciuit vna pœna tenebitur. d. l. 1. Vlp. l. 3. Paul. l. 4. de nox. act. Sed de hoc crimine fruſtra amplius diſceptare, quoad ſeruos hodie: ea ſiquidem ſeruilis conditio exploſa eſt inter Chriſti fideles.

ARBORVM FVRTIM CAESARVM.

CAPVT XV.

SVMMARIVM.

1 *Furtim arbores cedens habetur vt latro.*
2 *Illius arbor cenſetur in cuius fundo origo eſt quãuis eius radices alantur in alieno.*
3 *Qui antecesis arboribus, agrum vendidit ad id crimen agere potest.*

1 VT latrones haberi ſciendum eſt qui furtim
cedunt arbores Cai.l.2.arb.furt.leſ. Sed du-
2 bitatum fuit cuius arbor illa ſit quæ inter
duos fundos nata eſt? Et illius eſſe reſpon-
dit Paul. in cuius fundo origo eſt quam-
uis radices eius arboris alantur in vicino
fundo, Paul. l. ſi plures. verſ.ſi arbor.eo. Idem ſi quis ſtirpi-
tus arborem tranſtulerit in ſuum fundum eius arbor eſt, &
cæſit,in id crimen arborum furtim Cæſarum incidit,vt vult
3 Vlp. l.3. §. quod ſi quis.eo. Et qui agrum vendidit ante cæ-
ſis ſuis in eo arboribus agere poteſt ad id crimen, vt decidit
l.vlt.eo. Vlp. l.1. §. fundum. de aqu. quot. & æſt. Paul. l. ſi ſer-
uum.de iniur.Cai.l.doli. §. fin.de ſer. curr.cum ſi. per Gloſſa-
graph. d.l. vlt.

DE VI BONORVM RAPTORVM.

CAPVT XVI.

SVMMARIVM.

1 *Iudicio vi bonorum raptorum potius experiendum quam furti optimo iure.*
2 *Vi bonorum raptorum iudicio intentato furti agi non poteſt, at quidem è contra.*

3 Iudi

3 *Iudicium hoc datur hæredi, & ſucceſſori, non aduerſus hæredis, niſi locupletiores facti,*

IN hoc crimine Paul. l.1.de vi bon.rapt.cõſuluit potius actione illa vi bonorum raptorum eſſe experiendum quam furti. Ea ſi quidem parit pœnam in quadruplum veri pretij rei ſi infra animum ea expertum ſit, ſi poſt in ſimplum tantum Vlp. l.2.eo. 1
& denegatur poſtea actio furti, non è contra. Et ſemper venit illa quadrupli pœna licet furti agere velit, & hæc actio hæredi, & ſuis ſucceſſoribus datur, non tamen aduerſus hæredes, & ſucceſſores alios in quos pœnalis actio non tranſit, ſed tenentur tantum ad id in quo facti ſunt locupletiores, niſi lis fuerit conteſtata cum defuncto toto tit. C. ex delict. defunct. 2
Et ad id quod intereſt actio, ei datur cuius intereſt licet rei dominus non ſit Vlp. l.2. §. hæc actio. vi bon.rapt. ſed hæc actio tantum de mobilibus intentatur Paul. l.1.eod. 3

DE INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, Rate, Naue expugnata.

CAPVT XVII

SVMMARIVM.

1 *Rapiens tempore incendij, ruinæ, naufragij, naue, vel rate expugnata multatur infra annum conuentus in quadruplum, poſt conuentus in ſimplum.*
2 *Receptator vt captor puniendus.*
3 *Naui eiecta rapiens ita punitur.*
4 *Incendio orto dirumpens ædes vicini vt ſuas tueatur pœna caret.*
5 *Ex naue clauos, aut etiam clauum auferens, omnium rerum nomine tenetur.*
6 *Raptor tempore naufragij fuſtibus & relegatione punitur.*

7 *De raptus pœna dum agitur conditio, rerum qualitas, vt in cæteris iudiciis attenduntur.*

1 PVBLICE intereſt ait Vlp. l. 1. de inc. ruin. naufr. nihil rapi illis in caſibus. Eapropter illius æducti vtilitas euidens eſt, ait Vlp. & iuſtiſsima ſæueritas. Ideo qui rapuit tempore incendij, ruinæ, naufragij, naue, rate expugnata infra annum Conuentus in quadruplum, poſt annum in ſimplum plectitur. Et non
2 ſolum plectitur qui rapuit, ſed qui recepit quod eſt raptum: ait enim Vlp. l. 3. verſ. non tantum eo. nō tantum qui rapuit, ſed qui recepit eadem pœna damnatur vt decidit Vlp. l. 3. verſ. non tantum eo. quia receptatores, inquit, non minus delinquunt quam raptores.

Imo non ſolum qui rapiunt, ſed qui abſtulum, vel amo-
3 uem, vel damnum dant, aut damnum datum recipiunt ea actione tenentur, vel qui eiecta naui rapiunt, d. l. 3. §. non ſolum. Notandum tamen eſt quod I C. decidit d. l. 3 verſ. quod ait Prætor eum tantum teneri qui dolo malo damnum dedit. Nam ſi abſit dolus ceſſat ædictum, vt ſi defendendi
4 mei gratia orto in ædibus meis incendio vicini ædificium diruperim nam ſi id fecerim ad defendendas ædas meas dolo careo; vti qui ſe tueri voluit cum alias non poſſet excelſi reſcripto. Quoad autem naufragium, ſi quis ex naufragio cla-
5 uos, vel clauum vnum ex illis abſtulerit omnium rerum nomine tenetur, d. l. 3. §. ſenatuſconſultum. Et merito ait ibi Gloſ. in verbo omnium: quia his rebus ablatis omnes res in periculum deducuntur, ait Vlp. l. ſi quis in graui. §. ſi quis tabulas. Ad Sillan. Et quidem ex naufragio rapere dicitur qui rapit in trepidatione naufragij, Paul. l. pediuſ. de incend. ruin. naufr.

naufr. vbi pœnam IC.ſtatuit fuſtium,& relegationis in trien- 6
nium, in leuioris conditionis homines aut ſeruos maiorem.
Nam, inquit, vt in cæteris, ita & in huiuſmodi cauſis ex per-
ſonarum conditione, rerum qualitate diligenter pœnæ ſunt 7
attribuendæ. Et verberatis igne necare iubetur qui ædes,aut
aceruum fruméti iuxta domum poſitam combuſſerit ſciens,
& prudens. Aedium autem appellatione omnis ſpecies ædi-
ficij continetur vt exponit, & decidit Cai. l.qui ædes.eod.

DE INIVRIIS, ET FAMOSIS LIBELLIS.

CAPVT XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Iniuriæ aliæ reales, aliæ verbales.*
2 *Iniuria fit per alium, aut per ſemetipſum.*
3 *Quæ iniuriæ grauiores, quæ leuiores?*
4 *Iniuriarum actione qui poſſunt conueniri, qui non poſſunt?*

SI de iniuriis, & famoſis libellis nobis fuſe
diſceptandum eſſet ampliſsimum volumen
deſideraretur: Neque huic tractatui, & 1
opuſculo cōueniret. Sufficit hic igitur pau-
cis nos ad hanc rem diſtinguere poſt Vlp.
l.1. de iniur. & famoſ. libellis iniurias alias
eſſe verbales, alias reales. Verbales autem ſunt cum non in-
fertur manus, at cum fit conuicium. Reales quoties manus
infertur, aut ad corpus, aut ad dignitatem, aut ad infamiam

2 attenta pudicitia. Fit autem alicui iniuria, aut per ſemetipſum, aut per alium, vt I C. decidunt, & tradunt illo tit. de iniur. & Impp. l. vnic. de famoſis libell. Vt etiam quæ leuiores,
3 quæ grauiores iniuriæ dicendæ ſunt, & decidendæ in iudiciis aſsiſiarum ſummariè, & de plano ſine figura Iudicij qui
4 actione illa iniuriarum poſſunt conueniri, qui non poſſunt: tum quæ pœnæ ſequi debent ad eos Iuriſconſultos iuris noſtri autores in eo iudicio ſufficiat Canonicos Iuriſconſultos noſtros remittere quibus labori & vigiliis parere non congruit

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS.

CAPVT XIX.

SVMMARIVM.

1 *Extraordinaria crimina ſunt cum aliis nuptæ ſolicitantur, & interpellantur: qui alios fumo corrupto perfundunt, ſcæuo luto alios coinquinant, aquas, fiſtulas, lacus ſpurcant ad iniuriam publicam.*

2 *Puerum domo corrumpens pœna mortis plectitur.*

3 *Mulier data opera partim abigeus, vt abortum faciat pœna parricidij plectenda eſt.*

4 *Dardanarij annonam cariorem reddunt, & ideo expectant minores prouentus, ſed quæ ſit eorum pœna.*

5 *Qui ſunt ſaccularij?*

6 *Serpentes ferens vt alios fugere faciat punitur pœna extraordinaria.*

TRACTANDVM autem ſequitur de extraordinariis iudiciis, vti de cæteris ſupra ſuccincte, vt quæ etiam ad aſsiſiarum iudicia poſsint pertinere
1 dignoſcantur. Inter quæ iudicia extraordinaria enumerantur ſi qui aliis nuptas ſolicitant, matrimonia interpellant,

pellant, ſeu qui aliis matrimonio coniunctas pernitioſa libidine proſequuntur, qui fumo corrupto alios perfundunt, & ſcæuo luto alios coinquinant, aquas, fiſtulas, lacus ſpurcant, & contaminant ad publicam iniuriam. Et in ſumma 2
quicquid impudicitiæ gratia fit vt mulierem aut puellam, & præſertim puerum corruperint dono vel precio dato perfecto flagitio pœna mortis eſt. Hæc crimina vltima publici iudicij ſunt vt ſupra docuimus; illa pœnam deportationis merentur, iſta capitis vt decidit Paul. l. 1. de extr. crim.

Accedit vt ſi mulier data opera partum abigat vt abor- 3
tum faciat eius pœna eſt quæ & parricidij, & à Moyſe pœnam impoſitam iure veteri ſcriptum eſt: ſed ad iudicium publicum de adulterio ſpectare tradidimus.

In crimine autem Dardanarij qui annonam attentant, & 4
Cariorem reddunt eam emendo, aut qui minus vberos prouentus expectant, vt carius annonam vendant illis interdicitur negotiatio annonæ, & interdum relegantur, humiliores ad opus publicum damnantur. Vlp. l. annonam eo. Sunt & 5
ſaccularij qui in ſacco ſuperius bonas merces ponunt inferius malas. Dietarij autem ſunt qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo, quos fuſtibus caſtigari, & dimitti, aut ad tempus relegari decidit Vlp. in l. ſaccularij, & ibi Gl. ita tales nominari interpretatur, ſunt & qui ſerpentes circum- 6
ferunt, vt metu earum fugere faciant, & interea damnum dent in quos pro modo admiſsi damni datur actio, & ſequitur eos pœna extraordinaria, Paul. l. 2. eod.

DE SEPVLCRO VIOLATO.

CAPVT XX.

SVMMARIVM.

1 *Sepulcri violati crimen eſt cum quis ſepulcrum violat ne quis ſepultus ibi ſit.*
